1184. b 5
4

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES HALLILAY,

ANGLO-BRITANNUS,

Soc. Chyr.-Med. Soc. honor. et Praeſ. an.

Soc. Medic. Ed Soc. Chyr.-Phyſ. Ed.

Nec non, olim

Soc. Phyſ.-Med. Ed. et Soc. Med. Lond. Sod.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

Viris egregiis,

JOSEPHO SYKES,

ARMIGERO:

Olim artis ſalutiferae
Cultori prudentiſſimo,
Feliciſſimo;
Nunc magiſtratui Novarcenſi incorruptiſſimo,
Juſtiſſimo,
Homini intelligentiſſimo;

Item,

ROBERTO PETRIE, M. D.

Collegii regii Edinburgeni
Socio optime merito;
Cum caeterae omnis ſcientiae,
Tum medicae, quam proprie Lincolniae colit,
Peritiſſimo,
Ingenioſiſſimo;

Denique,

JOANNI SHELDON

Patri, Armigero,
Chyrurgo Londinenſi praeſtantiſſimo,
Humaniſſimo,
Proſperrimo;

Omnibus ſibi amiciſſimis,
Tumultuarium hocce opuſculum medicum

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Dr. Pellet, with Compts. from his friend

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

QUONIAM affectus, qui phthiſis pulmonalis nuncupatur, prae caeteris fere omnibus, vitae humanae adeo inimicus eſt, ut confirmatus plerumque exitium inferat; de eo igitur paucis, equidem non novis, potiſſimum agere decrevi. Ejus notio, hac definitione, apte comprehendi videtur, "Tuſſis, ſputa plerumque purulenta, et febris hectica."

PARS I.

De Phthyſeos Originibus.

I.

Potentiſſima noxa ad ſeminium phthiſeos pulmonalis faciendum labes haereditaria eſt.

Quam in aliquo humorum vitio, ut nonnulli volunt, positam, haud rationi satis congruum est, quoniam humores instabilissima nostri pars sunt, brevissimisque temporum spatiis assidue, et constante tenore, corpore omnes dilabuntur. Quod cum ita sit, ad firma, quae magis constantia sunt, eamque horum partem, quae toto vitae tempore permanet immutata, nempe, stamina primaeva, labes, de qua agitur, referenda est.

II.

Temperamentum, in quo phthisis pulmonalis potissimum apparet, sanguineum est. Cujus, cutis mollities, candor, florens genarum rubedo, capilli albescentes, saltem non nigri, firma tenera et delicata, secretiones variae, notae praecipuae sunt: Quae omnes tenuitati telae cellularis, et firmorum simplicium cohaesioni minori, tribuendae videntur. Cum hac corporis conditione, sensibilitas firmorum vivorum et irritabilitas,

tabilitas, mens mobilis, et vivida imaginatio, conjunguntur. Hinc acumine ingenii praeditos phthiſi pulmonali praecipue opportunos eſſe, obſervatur. Hoc temperamentum, et reliqua omnia, eidem corporis parti, cui labes haereditaria, nempe, firmorum primordiis, ſeu ſtaminibus primaevis, tribuendum eſt; deſcenditque, pariter ac corporis et animi ſimilitudo, a parente ad prolem.

III.

Idem ſcrophulae proprium eſt: Cui phthiſis pulmonalis maxime affinis, quin et ipſa ſcrophula, eſſe, inſtrumenti magni momenti, vitaeque neceſſarium, adficiens, dici poteſt; niſi quod alter affectus alio vitae tempore; ſcrophula in infantia aut ante pubertatem, phthiſis inter hanc confirmatam et triceſimum fere annum, incidere ſolent. Phthiſin vero, validis excitantibus noxis, quolibet vitae tempore incidere poſſe concedimus.

Scrophula

Scrophula glandulas lymphaticas potiſſimum exercet, harum duritiem cum tumore intra corpus aeque ac extrinſecus afficiens. Hinc inflammatio paulatim ſuccreſcens, paulatim in ſuppurationem tranſiens, omnia ſcrophulae concitat. Quae, ante pubertatem deſinens, raro in glandulis lymphaticis, cum tumoris aliquanto, alias ſui notas non relinquit. Cur autem eam non comitetur phthiſis pulmonalis, ſed longo poſt intervallo ſequatur, fortaſſe ex (IV.) apparuerit.

In aliis habitibus, ubi ſeminium minus viget, eaedem glandulae ſimiliter ſaepe indureſcunt, cum exigua inflammatione cito deſinente. Ita ego in juniorum cervicibus, ubi hoc temperamentum ſuberat, duros nodulos haud raro deprehendi; quos tamen ante, et adhuc pueros, nulla juſta ſcrophula affecerat, leveſque tantum dolentes cervicis tumores, quibus non dolentes noduli ſuccedebant, exercuerant. Qui noduli, ſeu reliquiae vel veſtigia quaſi quaedam, tumorum dolentium eundem eventum, ac

major

major morbi vis, trahebant. Inde tuberculorum phthiſicorum foecundior, quam ulla alia origo, et frequentior, quam pleriſque ad animum ſuccurrit. Tales vero noduli quodlibet temporis ſpatium, immo per totam vitam, ubi nullus corporis ſtatus eos in inflammationem, et hanc ſequentia, excitat, permanere ſine dolore, aut ulla noxa, poſſunt.

IV.

Inter pubertatem abſolutam et trigeſimum vel quintum amplius fere aetatis annum, ut, ſumma doctrina et ingenio ſibi proprio, clare demonſtravit maximus noſter Cullenus, plethora arterioſa, cum rebus, ex lege corporum noſtrorum, quibuſdam, quae in pulmones ſanguinis impetum dirigunt, incidit; et toto illo vitae tempore diatheſis phlogiſtica, quae, ad affectiones inflammatorias producendas, potentiſſime valere, omnibus bene nota eſt, maxime in corpore viget. Hae autem affectiones eo facilius

facilius cientur, praecipue in pulmonibus, quo plethoricus is ſtatus, ſive totius corporis, ſeu ipſorum pulmonum, exquiſitior ſubeſt; recte igitur inter noxas annumerantur,

1. Quae in toto corpore agunt; ut excretionum conſuetarum, maximeque ſanguinearum, et, prae caeteris ſanguineis, menſtruorum, ſuppreſſio; item victus lautus, exercitationis parum, et quae ſimili opere ſunt. Quibus verni temporis effectus addendus eſt, quo calor humores citius rarefacit, quam firma pro ratione relaxat. Neque affectiones animi, pathemata excitantia dicta, non quoque noxis annumerandae videntur, eoque certius, quo quis in eas pronior ſit, et ſaepius adficiatur;

2. Quae pulmonum plenitudinem praecipue adaugent. Ad eas peculiaris quaedam thoracis conformatio pertinet; cujuſmodi procera ſtatura, longa cervix, praecordia depreſſa, humeri elati. Quae corporis figura phthiſicis quaſi propria eſt, ſibique ſtatum pulmonum tuberculoſum, (III.),

qui

qui plethoram relativam non multum augere non poteſt, conjunctum, haud raro vindicat. Tanquam ſimilis operis, thoracis, ex ſpina curvata, vel coſtarum a ſana mutata curvatura, deformitas ab auctoribus memorata eſt. Quam utique, quatenus obſervatio docet, raro ad phthiſin pulmonalem faciendam per ſe pertinere exiſtimo. Sed, quoniam dyſpnoeae et aſthmatis eam noxam morbificam eſſe vidi, ex hoc ejus effectu, ad phthiſin pulmonalem inferendam, eam quoque aliquid eventu quaſi conferre poſſe, concedo. Quaedam temporaria, quippe quae thoracis dilatationem minus facilem reddant, et pectus in anguſtiam cogant, ut poſitio diuturna trunci corporis procumbens, loricarum plus juſto arctatio, inſtrumentorum muſices longa inflatio, et hujuſmodi alia, ſupra memoratis noxis recte adjicienda videntur.

V.

In hoc ſeminii (IV.) vel ad morbum proclivitatis ſtatu, ex frigore aut aliis noxis

exci-

excitantibus, ſanguinis in pulmones copiam majorem conjicientibus, diſtentio morboſa naſcitur: Quae pro ſtimulo agens, vaſorum pulmonalium actionem, perque eadem impetum adauget, et affectiones varias inflammatorias, prout variant modis cauſae, inducit. Has inter affectiones, quatenus noxae phthiſin pulmonalem excitantes, praecipue enumerantur,

1. Haemoptyſis; quae rumpendo plerumque pulmonum vaſa vulnus efficit. Quo vulnere per primam, ut aiunt chyrurgi, intentionem non ſanaſcente, ſuppuratorium opus induci, et ulcus conſequi neceſſe eſt;

2. Peripneumonia, quae initio neglecta, aut remediis adhibitis non reſoluta, ſed in ſuppurationem tranſiens, alia ulceris origo eſſe poteſt;

3. Catarrhus, qui plerumque mitis morbus, medicinae auxilio parum indigens, et ubi membranae mucoſae adfectus purus eſt, raro in ſuppurationem deſinens, poteſt tamen eo magnitudinis provehi, ut membranae,

branae, quam afficit, partem deleat. Aut ſecreti ſub eo humoris acredo tanta eſſe poteſt, ut rodat partem, et ſic ulcus quoque gignat.

VI.

Hos tamen morbos minime neceſſarie phthiſin pulmonalem inducere, monendum eſt. Pulmonum enim ſuppurationes, ſive ex haemoptyſi, ſive peripneumonia, ſeu ex aliis cauſis, carnis regenerationem haud raro recipiunt. Quin et ſatis magna pulmonum vulnera cito ſaepe conglutinari, bene notum eſt. Quod pro argumento eſſe poteſt, quo neque pulmonum motum, neque aſſiduum aëris ingreſſum, ut nonnulli exiſtimarunt et exiſtimant, ad ulcerum pulmonalium ſanationem prohibendam, ſolos ſufficere, intelligatur. Difficilemque ergo ſanationem ex aliis rebus pendere, manifeſtum eſt. Quarum rerum, ut opinor, purulentia vitioſa praecipua eſt. Quam opinionem hoc confirmare videtur, quod

nullum vulnus aut ulcus, ubi talis ſubeſt purulentiae ſtatus, facile ſanationem recipit, quodque tum demum febris hectica, cum talis purulentia (quam acredo peculiaris ſemper comitari mihi videtur) procreata eſt, apparet, nec pus illud mite, quod laudabile dicitur, fere unquam ſequi animadverſa eſt. Hoc etiam explicabile eſſe judicamus: Pus enim vitiatum, acredine ſua, vaſorum lymphaticorum oſcula abſorbentia, blando magis ſtimulabit, et validiorem abſorptionem, et, ut multo plus puris in corporis vaſa recipiatur, efficiet. Quod cum ita ſit, facile concipi poteſt, eandem, quam ſupra memoravimus acredinem, totam vaſorum irritabilium ſeriem irritando, humores corrumpendo, vireſque motrices debilitando, ita agere poſſe, ut multa phthiſeos pulmonalis confirmatae inde explicari queant.

VII.

VII.

Cauſam igitur phthiſeos pulmonalis proximam inveſtiganti, quid pus vitiatum gignat, potiſſimum inquirendum eſt.

1. Ex haemoptyſi pus vitiatum et acre, a quovis cachectico corporis ſtatu, cum haemoptyſi operam conjungente, ut opinor, oriri poteſt. Ita, ubi menſtruorum ſuppreſſorum ſymptomatica exiſtit haemoptyſis, totum corpus ſimul morboſe afficitur. Quo in ſtatu vis naturae medicatrix aut languidius aut inordinatius agere poteſt, quam ut ſuppurationem bonam et idoneam producat. Hoc ex principio explicandum videtur, quod ab hac origine haud raro enaſcitur phthiſis pulmonalis. Frequentiſſima vero, et longe certiſſima, phthiſeos pulmonalis cum haemoptyſi conjunctio tubercula pulmonum ſequitur (III.) Quo in caſu haemoptyſis potius pro comite phthiſeos ſymptomate, quam cauſa ejus, habenda eſt. Haec enim tubercula ſpatii, quo ſanguini transfluendum eſt, partem occupantia,

pantia, totum ſanguinem, qui toto et integro ſpatio transfluere debet, in libera vaſa conjiciunt, perque ſola haec ſolus ſanguini tranſitus dabitur. Cujus rei idem eſt effectus, ac, ſi plus ſanguinis totis pulmonum vaſis affunderetur. Hinc quoque in vicinia tuberculorum ipſorum, aut in his ipſis, difficillime tranſibit ſanguis, et eorundem inflammationi occaſionem dabit, cujus ſequelae ex (VIII.) apparebunt.

2. In peripneumonia ex effuſione, materiam bono puri conficiendo inidoneam ſuppeditante, aut ex longa puris, vomica incluſi, ſtagnatione, tanta acredo, quanta ſine multo ſeminii phthiſin pulmonalem gignat, procreari poteſt.

3. Catarrhus non membranae mucoſae ſemper purus affectus eſt, ſed aut incipiens, cum parenchymatis pulmonum inflammatione conjungitur, aut, ex producta in longum curatione, in talem inflammationem tranſit, obſcuriorem equidem ea, quam acuta peripneumoniae ſymptomata comitantur; hujuſmodi tamen, quae, tuſſi et a-

liis

liis diuturni morbi rebus ſervata, in ſuppurationem, vomicam, et inde pendentem exulcerationem, demum deſinere poſſit. Pus, hoc in caſu, genitum ſtagnando accreſcere, partes vicinas ex longa inflammationis mora indureſcere, et vaſa in ſtatum morboſum adduci, veriſimile eſt. Qui ſtatus, ut mox dicendum (VIII.) bono puro gignendo inidoneus eſt. Atque hac ratione catarrhus aliquando, fortaſſe non valde raro, phthiſin pulmonalem efficere poſſe, videtur. In ſummam vero certiſſimum eſt, omnes has affectiones inflammatorias ad eam efficiendam tum multo validius agere, cum, cum aliis feminii rebus conjunguntur, quarum praecipuae (in I. II. praeſertim in III.) commonſtratae ſunt.

VIII.

Tubercula ſic, ut ſupra (III.) dictum, formata, ex inflammatione, tempore (IV.) relato, adeo facile incidente, ſaepe inflammantur. Eamve inflammationem noxae levio-

res

res excitantes, aut quaelibet earum affectionum (V. 1. 2. 3.) inflammatoriarum occurrens, facillime iſta tubercula accendunt. Quae ſic inflammata, ſuppurationem demum paſſa, ſemper id puris vitiati genus edunt, quod conglutinationi adverſatur, quodque ſemper acredo comitatur, et hecticam febrem, quae praecipua affectus, de quo agitur, pars eſt, gignit; (vide XIV.). Ad hoc illuſtrandum et confirmandum ſuppurationis, ex ſcrophuloſo partis externae alicujus tumore, exemplum ſufficere poſſet. Sed longius provehar, et bonam mitemque ſuppurationem, ex vaſis, quorum conformatio, veterante duritie et tunicarum craſſitie, mutata ſit, vix unquam incidere poſſe, contendam. Tumores clauſi omnium generum, et ſchirrhoſi, hanc opinionem valida rationis ſimilitudine confirmant. Unde etiam, ut opinor, quod ab aliis, quam ſcrophula, originibus, diverſique generis, (quanquam minime inter ſe dignotis,) nata tubercula ſimiliter fere phthiſin pulmonalem inducant, ratio reddi poteſt.

Nunc

Nunc igitur de aliis tuberculorum originibus pauca dicenda ſunt.

IX.

Tuberculis ex ſcrophula natis ſimilia, ſine hac, in habitibus quibuſdam malis, ſeu, ut dicuntur, cachecticis, ſubnaſci poſſe videntur. Unde varii morbi longi, variae acredinis ſpecies, et variae poteſtates debilitantes antecedentibus phthiſi pulmonali noxis, a ſcriptoribus annumerantur. Quae utique tubercula etiam certius pulmones occupabunt, ſi hi ipſi, noxis in eos recta agentibus, qualis eſt, carbonum et metallorum liqueſcentium, aut ex aliis ſimilibus, aër impurus, jam ante debilitati ſint.

X.

In effuſione, ſub affectionibus inflammatoriis, jam ante (V. 1. 2. 3.) relatis, incidente, conditiones quaedam accidere poſſunt, quibus, humores effuſi, neque ſuppurationem, neque plenam abſorptionem, facile recipiunt. Inde omnes illae adfectiones,

nes, aut recta phthiſin pulmonalem, ut ſupra (V. 1. 2. 3.) dictum eſt, aut eventu eandem, prius tubercula faciendo, facere poſſunt. Fierique poteſt, ut aſthma aut ſimiles effuſiones faciendo, aut alio modo, (vide IX.), tuberculis formandis viam ſternat.

Materiae exanthematicae, praecipue varioloſa, et morbilloſa, in corpus agentes, tubercula etiam facere poſſe videntur. Propria enim illarum materiarum acredo, varias glandulas, per quas tranſeunt, inflammando et indurando, vel affectionem pulmonum inflammatoriam inferendo, per effuſionem tubercula facere, et ſic phthiſeos pulmonalis fundamentum jacere, notes. Poſtremo, eaedem, tuberculis, quae ante facta ſint, inflammandis, noxarum excitantium officio fungi poſſunt.

XI.

Ex ſupra memoratis, maxime communes phthiſeos pulmonales cauſas deduci poſſe, ſperamus. Aliae tamen ſunt, quae in illa fa-

facienda, partim quaſi mechanice, partim aliis noxis ſimiliter, agere videntur. Cujus originis ſunt tubercula in artificum pulmonibus, ex pulvere cum ſpiritu attracto, et calcareis illic, ab aliqua cauſa interna generatis, concretis, innaſcentia. Sic ortu tubercula cito partes circumjacentes laedunt, tunica craſſa morboſa obducuntur, tandemque, mole aucta irritando, tuſſim excitant; cujus molimine tubercula labefactata et egeſta, lacerationem, inflammationem, et hinc orientia, efficere poſſunt.

Corpora aliena in bronchia illapſa, bronchiorum polypos, virus venereum, contagionemque, utpote quae aut raro occurrant, aut ancipitis et incerti operis ſint, ex conſulto omiſi.

XII.

Ex ſupra dictis, phthiſin pulmonalem imprimis nunquam juſtum morbum, ſed ſymptomaticam tantum affectionem, eſſe; 2do, Originem ejus, maxime et frequentiſ-

ſimea ſcrophula pentendam; 3tio, Si quando ab aliis morbis oriri videatur, ſcrophulae latentem labem ſaepe ſubeſſe; vel, 4to, Si haec non ſubſit, noxas antecedentes ſimili modo, tubercula, ſcilicet, in pulmonibus formando, aut partem pulmonum alio modo vitiando, plerumque agere, patet.

XIII.

Plerumque igitur ex his tuberculis ſuppuratis, aliquando ex alio fonte, ulcus mali moris, ut aiunt, cum materiae acris in venas abſorptione, pro cauſa phthiſeos pulmonalis proxima, omni in caſu habendum, cenſemus. Aliter enim rem eſſe, nullo idoneo teſtimonio confirmatum eſt.

XIV.

Facies morbi in initio, pro noxarum excitantium varietate, diverſa eſt. Ubi vero a tuberculo, paulatim in inflammationem tranſeunte, phthiſis pulmonalis ortum ſuum ducit,

ducit, ſequentia praecipua ejus ſymptomata evadunt.

Ante omnia tuſſicula ſicca, mane potiſſimum, ab aliis animadverſa, ipſum aegrotaturum fere latens, plerumque ante juſtum morbum, aliquando diu, incidit. Propius accedente, vel jam certo morbo, non amplius tuſſicula, ſed tuſſis abſoluta apparet, et ſputa, primum modica, et mucoſa magis, ſequuntur. Spiritus deinde affici incipit, et tractiones, moto propriis viribus corpore, frequentiores et difficiliores fiunt. Praecordia in aliqua parte quaſi gravantur, et quaſi conſtringi perſentiuntur, aut dolent, adeo, ut aeger in unum latus decumbens, magis quam in alterum, tuſſiat, ſpiritumque difficilius trahat. Acceſſiones naturales veſpertinae febriles augentur, et pulſus, hactenus a ſtatu ſolito non multum recedentes, celerius et frequentius micant, calorque corporis intenditur. Mox febris hectica juſta ſupervenit. Cujus exacerbationes bis intra horas vicenas et quaternas, una obſcurior, minor, meridie circiter, altera ſub noctem,

tem, praeeunte languore, frigoriſque ſenſu, accenduntur. Hae acceſſiones per aliquot horas, cum calore auctо, ſiti, inquietudine, frequentiore tuſſi, et ſputis minus facilibus, perſtant. Mane ſudores plus minus profluunt, urina ſedimentum leve furfuraceum deponit, et omnia febrilia aliquid levaminis recipiunt. Jamque corpus tabeſcit; ſputa copioſiora, purulenta, colore variantia, albentia, flaventia, viridentia, nonnunquam ſanguine ſtriata, rejiciuntur; et ſapor inſolitus, ſalſus, dulcis, aut putridae quaſi materiei, in ore eſt. Procedente morbo, increſcit febris. Sudores magni tota fere nocte diffluere incipiunt, ſecutoque mane levamen, quam ante minus eſt, omniaque dira ſymptomata citius, et auctis viribus, indies redintegrantur: Macies rapide procedit; lingua et fauces quaſi leviter inflammatae rubent, aut aphthis obducuntur. Pallor cadaveroſus totum, praeter exiguum circumſcriptum genarum ſpatium, vultum occupat. Acuuntur nares; tempora deprimuntur; oculorum orbes ſubſidunt, et in tu-

nica

nica adnata nihil demum rubedinis cernitur. Diarrhoea colliquens, cum ſudoribus vices alternans, pedes oedematoſi inflati, capilli decidentes, ungues adunci, elata praecordia, ſummam virium defectionem demonſtrant. Sputa non amplius ejici queunt. Suffocatio poſtremo ſupervenit, et mors amica aegrum, inopem ſalutis, ſpem etiamnum fere foventem, e medio tollens, miſeram ſcenam claudit!

XV.

Ex omnibus ſupra expoſitis, cum per aliquod temporis ſpatium provecta eſt, ab aliis morbis phthiſin pulmonalem facile diſtingui, ſatis aperte patet. Quae a catarrho utique, praeſertim ei originem praebenti, difficilior dijudicatu eſt. Quo facilius autem ab eo dijudicetur, omnia ſeminii, noxarum excitantium omnia, et praeſentis morbi ſymptomata, perpendenda ſunt. Et, ſi quid dubitationis etiam relinquetur, ſputorum natura, ut mucoſa, vel purulenta, optime inſerviret,

inſerviret, ſi pus a muco certo et facile dignotu eſſet: De qua re hae notae praecipue adhibentur.

1*mo*, Color reſpicitur. Mucus tralucet, pus contra opaeum eſt. Mucus vero, ut notiſſimum eſt, ex morbifico organi ſecretorii ſtatu, tralucere deſinit; albeſcit, flaveſcit, raro tamen tantum, quantum pus virideſcit.

2*do*, Gravitas ſpecifica alteram notam praebet. Mucus e pulmonibus ejectus aquae plerumque ſupernatat; pus illico praecipitatur. Quod indicium non utique perpetuum eſt; nam bullularum ille expers fundum petit, quibus hoc elevatum in ſumma aqua permanet.

3*tio*, Odor quoque diſcrimen praebet. Mucus raro, pus ſaepe, male olet; ſed, cum utrumvis, igni impoſitum, male oleat foeteatque; ex hac nota, quam antiqui pariter ac recenſiores reſpexerunt, morbi natura haud ſatis pateſcit.

4*to*, Ex ſpiſſitudine et diffuſibilitate dijudicatur. Mucus purus, viſcidior magis cohaeret.

haeret. Idem aqua non facile diffunditur, ſed in maſſam curvilineam ſeſe colligit. Facilius pus diffunditur, et levi motu agitatum, in fruſta quaſi laciniata diſpergitur.

5*to*, Sputorum ſpecies conſulitur. Si materiam flaveſcentem aut virideſcentem alia exſputa magis tralucens, minus colorata, viſcidior circumfluit, illa pro pure eo habetur, quod unam partem muci pulmonum mutari, alteram in ſtatu fere naturali permanere, non veriſimile videtur. Hic ſpeciem, quam ſputa purulenta praebent, peculiarem, raro peritiores fallere, ſed facilius utique oculis diſcerni, quam verbis deſcribi, obſervandum eſt. Ex his vero duobus indiciis 4to et 5to, diſtinctio aliqua ex parte diſci poteſt.

Sexta et certiſſima nota eſt comes febris hectica, quae ut abſoluta fortaſſe nunquam ſine purulentia incidit, ita phthiſin pulmonalem, nulla adhuc purulentia in ſputo apparente, aliquando haud ambigue detegit; ut ubi vomica intus in pulmonibus ſubſiſtens nondum in bronchia viam fecerit.

Quo

Quo in casu omnia symptomata phthiseos pulmonalis confirmatae, et inde, licet rarissime, mors, sine sputis purulentis, accidere possunt.

De experimentis ingeniosi venerandique C. Darwin, nobis non liquet. Quae repetita per amicum meum accuratissimum Gul. Hamilton, medicum, minime ad sententiam responderunt.

XVI.

Prognosis in phthisi pulmonali incipiente anceps est. Confirmata plerumque miseros ad exitium ducit. Nonnulli tamen, perpauci equidem, convalescunt, et prospera valetudine dein utuntur. Ex seminii et febris hecticae magnitudine, sputi natura, debilitate, et aliis morbi rebus, judicium eventus, sive faustioris aut infaustioris, sive propioris aut remotioris, trahendum est *.

PARS

* Vide Culleni Primas lineas DCCCLXV.

PARS II.

Phthiſeos Pulmonalis Curatio.

Quoniam phthiſis pulmonalis confirmata plerumque fatalis eſt, ut modo dixi; ideo morbum omnino evitare, aut advenienti occurrere, maxime medici intereſt. Cum vero noxae excitantes, eoque primi ſtadii indicia, perquam varient, curationem pariter variaturam haud difficile conceptu erit. Ubi temperamentum phthiſi pulmonali opportunum, aut labes haereditaria, obtinet, noxae omnes, quae in hujus diſputationis parte priore exponuntur, vitandae ſunt; maximeque illo vitae tempore, quo in morbum incidere ſolent ii, qui ſeminium habent. Quae adminiſtratio potiſſimum procedit, vitae ratione accurata, victu modico, exercitatione, coelique ex frigore in temperatius mutatione, et, ſi exoriatur catarrhus, haemoptyſis, vel alius inflammatorius pulmonum affectus, ut cito et feliciter

terminentur, quam maxime curandum eſt. Ubi jam tuberculo inflammatio accenditur, ne in ſuppurationem tranſeat, ſedulo conandum. Itaque ſanguis, pro virium ſtatu et ſymptomatum magnitudine, ſaepius detrahendus: Ea, de quibus in prophylaxi mentio facta eſt, et alia, quae ex mox dicendis de confirmatae phthiſeos curatione facile innoteſcunt, ſervanda ſunt.

Conſilium curatorium phthiſeos confirmatae ad ulceris ſanationem totum ſpectat. Quod efficere quidem, proh dolor! raro in noſtra poteſtate eſt. Cum enim omnis ulceris conglutinatio naturae opus ſit, ita nihil arti relictum eſt, niſi ut impedientia amoveantur, quae in hoc caſu videntur diatheſis phlogiſtica, impetus humorum in pulmonibus auctus, ſtatuſque puris vitiatus. Ut hunc, a morboſo et ſaepiſſime diuturno vaſorum partis ulceratae vitio, pendere, judicavimus, ita ei certa medendi rationem nondum ars medica deprehendit. Neque tamen aliquid faciendi conatu deſiſtendum,

cum

cum ejuſmodi pulmonum ulcera aliquando ſanata fuiſſe, teſtimoniis fide dignis, compertum eſt. Et, ut illuſt. De Haen, de alia tabis ſpecie agentis, verbis utar, 'Nemo certo novit eam ſolidorum fluidorumque corruptionem adeſſe, quae nullam ultra curam admittat.'

IMPRIMIS igitur tentanda eſt ulceris conglutinatio,

1. Diatheſin phlogiſticam minuendo,
   a. Sanguinis detractione,
   b. Regimine antiphlogiſtico,
   c. Refrigerantibus dictis;
2. Sanguinis a pulmonibus impetum avertendo; Vide 1. a. b.
   a. Sanguis topica detractione,
   b. Veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis,
   c. *a.* Emeticis. *b.* Nauſeam moventibus,
   d. Idonea veſtis ratione,
   f. Temperie externa non frigida, aequabili,
   g. Exercitatione paſſiva——praeſertim navigatione,

h.

h. Graviditate;

3. Statum ſuppurationis et inflammationis in ipſo ulcere mutando,

a. Aëre puro,

b. Victu nutriente. Vide 1. b.

c. Antiſepticis—intus,—*a.* Aquis aëre fixo ſcatentibus—*b.* Acidis—*c.* Infuſo bynes—extrinſecus.—*e* Aëre fixo, reſpirabili communi commixto, imbibito. *f.* Effluviis a reſinoſis.

d. Quibuſdam ſtimulantibus—*a.* Balſamis nativis—*b.* Myrrha.—*c.* Mercurio,

e. *a.* Sarſaparilla—*b.* Tuſſilagine,

f. Narcoticis quibuſdam—-*a.* Cicuta—*b.* Dulcamara,

g. Cortice Peruviano:

Secundo, graviora ſymptomata levanda ſunt,

1. Tuſſis, Vide 1. a. 2. b. c.

aa. Demulcentibus dictis.—*a.* Mucilaginibus ex vegetabili materia.—*b.* Oleis blandis expreſſis,

bb.

bb. Opio;

2. Diarrhoea,

aa. Adſtringentibus,

bb. Opio,

cc. Mucilaginibus;

3. Sudor colliquens,

aa. Acido vitriolico,

bb. Temperie externa non calida.

I.

Incipienti phthiſi, ſanguinis detractiones (1. a.) remedio eſſe jam dictae ſunt. Quae in eadem confirmata, multum quoque ad febri hecticae moderandum valent. Poſtquam autem multum provectus morbus eſt, debilitas demum inducta, illud remedium, niſi urgente neceſſitate, ut, ubi dolor acutus in aliqua thoracis parte, cum difficili ſpiritu ſuboritur, renuit. Hoc autem in caſu, nempe, acuti in thorace dolores cum difficili ſpiritu, tantum ſanguinis, quantum pulſus ferre videatur, quolibet morbi tempore, ſaltem ante oedematis extremorum adventum,

tum, detrahi poteſt. Quod recte fieri, oſtendit ſanguis detractus ſemper fere cruſta coriacea obductus. Non tamen temere detrahendus eſt; et ſub finem, cucurbitulae cum ferro (2. a.) et veſicatoria ei ſuperſedere debent: Forſitan ſine ferro cucurbitulae aliquando prodeſſent.

II.

Sanguinis, in diatheſi phlogiſtica imminuenda, miſſi effectum adjuvat adminiſtratio antiphlogiſtica accurata, (1. b.), maximeque victus, quam minime ſtimulans; quia, quo tempore cibus digeritur, et chylus in ſanguinem fluit, febris hectica vulgo creſcere, et pro cibi ſtimulante natura, animadvertitur. Ob quam cauſam, circa morbi principia, farinacea decocta, lacte, fructibus, et alia plantarum materia, parum alente, admixtis, ſolus cibus permittenda videntur. Hoc alvus plerumque ſatis fluens ſervabitur. Aut, ſi haec durior juſto fuerit, eccoproticis leniter movenda.

III.

III.

Hoc quoque morbi tempore, refrigerantia dicta, (1. c.), qualia nitrum et acida ſunt, adhiberi, praecipue ſi haemoptyſis, aut hujus periculum, ſubeſt, licebit. Provectiore morbo acida, (3. c. *b.*), prae caeteris vegetabile nativum, perquam grata phthiſicis ſunt. Quae antiſeptica et refrigerante virtute ſaepe morbum ſublevarunt, et large data eum ex toto ſuſtuliſſe, a nonnullis dicuntur. Quod ſi eadem acida tuſſim exaſperent, quia inde ſuboriens irritatio plus obeſſet, quam vis eorum refrigerans aut antiſeptica prodeſſet, ideo illa omittenda ſunt.

IV.

Quoniam macies et debilitas cito accidunt, ideo aegrotans tantum alendus eſt (3. b.) quantum citra nocentem ſtimulum fieri poterit. Quem in finem lac recens merum, ebutyratum, et farinacea, praecipua materia ſunt. Aſininum vero lac, quippe quod

quod partis coagulabilis minus, ſaccharinae plus habeat, quandoque bovino anteponendum eſt, eoque magis, quod placidius et lenius ventriculo eſt, faciliuſque digeritur. Contra acidum, ſi id intus moleſtum eſt, magneſia, aut terra calcarea, pro alvi ſtatu, lacti adjicienda eſt. Ex plantarum genere parata quaedam, multum mucilaginis habentia, cujuſmodi ſunt ſago, orchidis ſpeciei radix, ſalep vulgo dicta, et lichen Iſlandicus, quoque uſui ſunt, et tum maxime, cum diarrhoea colliquens apparebit: Quo in caſu ad paulo liberiorem victum decurrendum, et vini paululum atque carnis, ad aegrotantem ſummopere nunc debilem ſuſtentandum, non negandum eſt. Quae victus ratio etiam neceſſaria eſt, quia, ex lacte et materia plantarum conſtans, auget diarrhoeam. An etiam, ſuperiore morbi tempore, lautior victus eo, qui ex lacte et materia e plantis petita conſtat, phthiſicis indulgendus ſit, aut qui caſus phthiſici eum commodius recipere poſſint, pro certo dicere non poſſum *.

V.

* In praelectionibus ſuis egregiis, profeſſor noſter Gre-

V.

Veſicatoria (2. b.) ad inflammationem localem ſolvendam aut imminuendam prodeſſe, experientia teſtatur. Haec, ſummo corpori impoſita, quam proxima affectionis ſedem fieri poteſt, et aperta ſervata, multum ad ſalutem valent; humoris detractione ad diatheſin phlogiſticam imminuendam pertinent, et ſtimulando ita circuitum afficere poſſunt, ut humores ad partem derivent, et ſic pulmones hic laborantes ſublevent. Setacea et fonticuli ſimili opere ſunt. Et, niſi effectus protinus requiritur, ut in magno lateris dolore, et ſpirandi labore, veſicatoriis etiam anteponenda videntur; quia facilius adminiſtrantur, et aequaliore opere ſunt. Experientia propria adductus, bonum ab iis fructum ſperandum judico, et tanto meliorem, quanto maturius adhibeantur.

† E VI.

Gregorius ex tenui ſolitoque ad lautiorem victum tranſitum manifeſte prodeſſe, ſe vidiſſe teſtatur.

VI.

Emetica (2. c.) humores in ſummum corpus avocare intelliguntur. Fierique poteſt, ut ad bronchia muco et pure liberanda, ubi copia major eſt, aut materia viſcidior, quam ut comitis tuſſis conatu ejici poſſit, vomitus pertineat. Sed cum juſti vomitus pro tempore tantum effectus reſpondeat; ideo emetica, ita data, ut nauſeam tantum moveant, ſaepius adhibentur, et circa morbi initia efficaciora eſſe videntur. Eadem, poſtquam ſudor colliquens incepit, non uſui ſed noxae ſunt; et perſpiratio melius ſequentibus ſuſtentatur. (VII. VIII.)

VII.

Tantum veſtis utendum, (2. d.) quantum frigoris ſenſum prohibeat; ſub quo ſanguis ad interiora ferri, et ibi accumulari ſolet; item laneum aut xylinum induſium pro lineo gerendum, et ſaepe mutandum. Cujus uſus eſt leni ſtimulo vaſculorum perſpiratoriorum

ratoriorum actionem excitare, et corporis calorem, ea proprietate, qua calorem pariter et frigus lente tranſmittit, quod laxior textura efficit, conſtantius ſervare. Æqualis coeli temperies quaerenda (2. f.), frigidaque et varia vitanda. Quo nomine Britannia fugienda eſt; cujus hyems longa, tempeſtaſque mutabilis, phthiſicis parum reſpondet. Gallia meridionalis, Italia, Luſitania, Inſulae Madeirae, petendae. E quibus, hae illis anteponendae videntur. Calor, quo intelligo omnem temperiem ſupra 64 thermometri Fah. gradum, genus nervoſum in ſummo corpore ſtimulando, humores ubique rarefaciendo, ſudores colliquentes et debilitatis omnia augendo, protinus phthiſi pulmonali ſummopere nocet, et, ut jamdudum obſervatum eſt, certius ad mortem paucis hebdomadis miſeros rapit, quam totidem menſibus, et quandoque annis, modicum frigus. Quam quidem ob cauſam, calida regio aeque vitanda eſt ac frigida. Loci delectus ex dicendis in (X.) diſcetur.

VIII.

VIII.

Ut exercitatio (2. g.) ab omnibus laudata eſt, ita de ſpeciebus ejus minime inter medicos convenit. Vehi equo, adeo a Sydenhamo laudatum, ad occurrendum potius, quam medendum, morbo pertinere videtur. In catarrho longo, ubi, ex diuturnitate et aliis morbi rebus, ſputa puris ſpeciem praebuerant, ex debilitate pulſus increbruerant, et acceſſiones veſpertinae, febrem hecticam quodammodo referentes, acceſſerant; equo vehi, et tonica, atque etiam cortex Peruvianus, multum profuerunt. Tales caſus forſitan ſunt, qui magnum virum in errorem duxerunt. Eademque forſitan cauſa eſt opinionum, quae phthiſin pulmonalem accidiſſe, et exitio fuiſſe, nullo pulmonum ulcere, propoſuerunt. In phthiſi igitur pulmonali juſta geſtatio ſola exercitationis ſpecies reſpondet. Cujus ex ſpeciebus navigatio reliquis praeſtat; quippe quae, ſine conatu muſculari, perpetuo motu corpus afficiat, et aequaliorem, quam in terra, temperiem

riem conjunctam habeat. Opus ejus, tanquam ejuſdem naturae, ac alia geſtationis genera, explicatum eſt. Quod tamen multum ab iis deferre, vel una hac nota judico; quod nauſea, quam facit, aliis vix excitata, et proprietas ejus diarrhoeae et haemoptyſeos cohibendae, ſaltem, quantum reliquis geſtationibus, in perſpiratione ſuſtentanda, praeſtet, argumento eſt. Quin et ab aliis exercitationis modis, eo quoque deferre nobis videtur, quod pulſus tardiores reddit. Verum, omiſſa ratione, ab antiquis commendatam, et a recentioribus nuper optimo cum fructu receptam, eam non maturius adhiberi, dolendum eſt. Iterum dico, pleroſque alios non tantum exercitationis, ſed geſtationis, modos ſanguinem percitare. Quod omni ratione vitandum eſſe, ex iis quae ſupra dicta ſunt patebit, multoque plures caſus navigatione, quam ulla alia ratione, ex medicinae annalibus ſanatos, recordandum eſt. Cumque omnis conatus, pulmones afficiens, ſummopere cavendus ſit; ita ſermonem perpetuum, aut quemvis alium

um ſimilem laborem, in primis noxae eſſe, non eſt obliviſcendum.

IX.

Graviditas (2. h.) phthiſeos impetum manifeſte retardat. Quod minus mirum videbitur, ſi, quae mutatio poſt conceptum fiat, reputetur. Tum novus ſtimulus corpori admovetur, et in aliam partem impetus convertitur, ac proinde a pulmonibus avertitur. Hoc uteri incrementum, craſſitudo, et amplitudo aucta declarant. Qui graviditatis effectus, quantumvis retardandi morbi potens, pro tempore tamen tantummodo obtinet, poſt partum deſinens, et morbum celerius, quam ante, procedere ſinens. Neque tamen tota morbi vis totos annos non hoc auxilio ſuſpenſa eſt. Si igitur graviditatem continuando, tempus illud, quo morbus potiſſimum incidere periclitatur, ſuperari poſſit, auxiliis phthiſeos pulmonalis jure annumerandum videtur.

X

X.

Puro aëre (3. a.) nihil ad vitiata ulcera medenda magis neceſſarium eſt, impuro nihil magis ſanationem impedit. Multum igitur aëris ratio curationis intereſt; primum, quia ſolum eſt quod aſſidue admovetur; dein, quia purus aër ſpirandi facilitatem expedit, et noxam ex difficiliore motu accedentem tollit. Hinc locus arenoſus phthiſicis commodus; aut, ſi juxta praeterfluentem aquam erit, inde quoque aëre purificabitur. Vitandae urbes ſunt, ubi ex multorum animalium, eodem congeſtorum, ſpiritu, et aliis rebus, putreſcentis materiei copia, aſſidue ſuboriens, aërem contaminat. Frigus omnibus vitiis pulmonicis inimicum eſt. Ob quam cauſam, ſi manendi in Britannia, hyemali tempore, neceſſitas forte erit, ventus ex ſeptentrione, aut hunc inter et orientem perflans, fugiendus eſt. Et, quamvis aër montanus propter puritatem reſpondet, tamen, ne nimis frigidus ſit, media

dia altitudo ad habitandum eligenda eſt. Eudiometer, nuper inventus, ad aëris puritatem indagandam, uſui eſſe poſſe, judicamus.

XI.

Omni medicinae tempore novitas multum valuit. Hinc multa auxilia commendata, et egregiis laudibus elata, quae experientia maturior et periculi, ſaepius facti, lux clarior mox repudiavit. Quod ipſum quam metuo, ne aëri fixo, (3. c. *e.*) accidat. Qui, quantum phthiſi prodeſſe poſſit, aut profuturus ſit, nondum ſatis exploratum eſt. Sed experimenta, quatenus proceſſerunt, ad ſummam pro uſu illius faciunt. Antiſeptica ejus virtus, ſatis explorata, partim puris abſorpti noxam imminuendo, partim ipſius ulceris naturam malam corrigendo, aliquid boni promittit. Quo conſilio aqua Seltzerana, et Briſtolenſis, aut ſimilis arte facta, largius ſumenda. Et ex miſturis effervescentibus gas ſuboriens, et aëre communi dilutum, imbibendum. Hic quoque aqua Matlockiana,

Matlockiana, ut in phthiſi et haemoptyſi bona, quamvis ab aëre fixo non forte trahens virtutem, memoranda videntur.

Infuſum Bynes, (3. c. *c.*) quod morbis putridis et occurrere et mederi, et ulceribus malis prodeſſe, compertum eſt. In phthiſi quoque experiendum videtur, eoque magis, quod, ſaccharum et mucilaginem poſſidens, ſaltem ſublevare tuſſim promittit. Quod non ex ſola ratione dictum intelligas. Hoc enim et lacte, cum alio, tum ebutyrato, phthiſis, quae mihi confirmata videbatur, ſublata eſt. Verum poſtquam diarrhoea colliquens ſupervenit, idem illud infuſum, ut alvum movens, minus idoneum erit.

Quatenus acida refrigerantia et antiſeptica ſint, jam ante dictum. Vide III. et XVII.

Vaporum ex reſinis (3. c. *f.*) hauſtorum, periculo facto, virtus nondum comperta eſt. Et, ubi profuerint, catarrhus longus potius quam vera phthiſis eſſe potuit.

XII.

Balſama naturalia, (3. d. *a. b.*) ex opinione falſa, adeo laudata olim, et in uſu medendi celebrata, hoc tempore merito rejiciuntur; quippe quae olei eſſentialis multum continentia, ideo calefacientia et ſtimulantia ſunt. Nec myrrha, quae nuper magnis laudibus elata eſt, non quoque nunc damnatur, recte, annon, eo incertum, quod alii ſuppurationem per eam corrigi, et inflammationem adhaeſivam, ſeu carnis reparationem procliviorem reddi, contendunt; alii ſtimulantis eam naturae et acredinis arguunt.

Ob ſalutarem aliis malis ulceribus medendi facultatem, mercurius in phthiſi quoque commendatus eſt. Quam utique in hac virtutem nondum experientia comprobavit, et, e contrario, vis ejus corpus ſtimulandi manifeſte perniciei fuit.

XIII.

XIII.

Quae ſit ſarſaparillae (3. e. *a.*) virtus, nondum inter ſcriptores convenit, alios eam imbecillem et inertem praedicantes, alios acredinis in humoribus corrigendae vim ei tribuentes. Quam virtutis medicae non expertem eſſe, vis ejus obſtinatis ulceribus venereis medendi, febremque illam quaſi hecticam, quae longo mercurii uſui quandoque ſuccedit, tollendi, argumento eſt. Quam rem eo magis memorandam hic putavi, quod, quibus caſibus phthificis myrrha profuiſſe dicitur, in iis cum ea ſarſaparilla conjungi ſolita, aliquid ad proſperum effectum contuliſſe poteſt. Eodem pertinet quod, teſtante mihi ingenioſo amico hic medicinae ſtudioſo Jacobo Currie, eadem contra ulcera ſcrophuloſa proſpere nuperrime adhibita eſt, cum autem neque aqua, neque alcohol, totam ejus virtutem extrahunt; ideo integra et largius ſolito ſaltem ad ℥i. quotidie danda eſt.

Cum

Cum tuſſilago, (3. e. *b.*), quae diu in obſtinata affectione pulmonica commendata, a Fullero medico in phthiſi quoque laudatur, et contra ulcera ſcrophuloſa, comitante febre hectica, uſui fuerit; inde eam, magna doſi datam, ſatiſque diu et rite adminiſtratam, in phthiſi ex ſcrophuloſa labe bonam fore, ſperandum eſt.

XIV.

De cicutae et dulcamarae (3. f. *a. b.*) virtute medica nihil, in hoc affectu, ex propria obſervatione, habeo dicere. Cum vero vi peculiari pollere videantur, et ad ulcera mali moris ſananda, tumoreſque ſcrophuloſos reſolvendos, multum poſſe experimentis compertae ſint; neque in phthiſi ex ſcrophula quoque earundum poteſtas non multum ab illuſtri noſologo Sagar, laudetur; ideo non ex toto contemnendae videntur.

XV.

XV.

Cortex Peruvianus, (3. g.) varia mente phthiſicis datus eſt. Verum effectus ejus, in aliis caſibus, ſuppurationem bonam excitando, et febres remittentes tollendo, agentes, aut quicunque ſint, neutiquam ulceri pulmonum aut febri hecticae medendis accommodantur. E contrario, cortex pectus ſaepe conſtringit, ſpiritum difficilem reddit, et diatheſin phlogiſticam adauget. In quibuſdam phthiſeos pulmonalis caſibus ego corticem, nullo febris hecticae levamine, haud ſemel adminiſtratum vidi.

XVI.

Tuſſis perpetuum phthiſeos moleſtiſſimum ſymptoma eſt; neque ulceris ſanationi non plurimum obſtat. Ad quam igitur mitigandam, danda ſunt demulcentia (1. aa.). Inter quae, mucilaginoſa, quippe quae minus ventriculo, quam oleoſa, noceant, his anteponenda ſunt. Quae blanda pectoralia,

lia, ut dicuntur, ſi a tuſſi requietem non concilient, ad opiata (1. bb.) decurrendum. Sed cum, in primo morbi tempore, vigenti diatheſi phlogiſtica, opium hanc augeat, cautius igitur tum, cum opus eſſe eo videbitur, dandum. Verum, provecto multum morbo, cum levamini ſoli proſpicitur, dolores ejus uſu leniendi, et placidior e vita exitus miſeris conciliandus, neque metuendum eſt ne ſputa reprimat; nam haec, poſt ſomnum recreantem, faciliora et expeditiora redduntur. Opium in tuſſi ſedanda non totam ſuam operam collocat. Nam et diarrhoeae colliquenti magno remedio eſt. Quem in finem cum terra Japonica, gummi kino, et aliis e regno plantarum aſtringente facultate praeditis, item alumine, et mucilaginibus conjungitur. Omnibus vero mucilaginibus palmam fortaſſe Lichen Iſlandicus praeripiet; ut ex clari viri et medici Ebeling, nuper in hac academia medicinae ſtudioſi, Diſputatione inaugurali, Glaſguae edita, addiſcere licet. In qua non ſolum ad tuſſim componendam,

nendam, et diarrhoeam ſiſtendam, et phthiſin quoque funditus tollendam, Lichenem valuiſſe, et magnis efferri laudibus videbis. Porro, ubi cutis areſcit, cum nauſeam moventibus opium, ubi ſudores magni colliquentes ſunt, cum acido vitriolico commode conjungitur. Acria pectoralia, Expectorantia dicta, qualia Scilla et G. Ammon. ſunt, quamvis a nonnullis laudata, nos raro tamen uſui, ſaepe noxae eſſe, judicamus. Quod, ſi difficilis quando ſpiritus et ſputorum rejectio erit, ea modis jam relatis, praeſertim in VI. expedienda cenſemus.

XVII.

Ad ſudores colliquentes cohibendos, multum poteſt acidum vitriolicum (3. aa.) quod aqua dilutum, et idoneis temporis intervallis datum, ſedante opere calorem imminuit, et ad febrem hecticam componendam, ſudoremque reprimendam, plurimum confert; alumen quoque ad hoc faciendum bonum

bonum esse dictum, et laudatum a Godarto, celeberrimus Professor noster Home, periculo facto, parum respondere comperit. Calor cubiculi, lecti ex multis stragulis, evitandus est.

FINIS.

CORRIGENDA.

In Parte I.

Sect. VII. 2. *fin.*	1.		ſuppleatur (,) poſt peripneumonia.
VIII.	7. *pro*	ifta tubercula *lege* iſtis tuberculis.	
X.	22.	notes	poteſt.
XI.	9.	ortu	orta.
XII.	5.	pentendam	pendere.
XV. 4.	2.	mucus purus [viſcidior	mucus pure viſcidior.

In Parte II.

Pag. 26. *lin.* antepenult.	*pro* certa	*lege* certam.	
27. in Tabula Q. a.	ſanguis	ſanguinis.	
Sect. X. penult.	eudometer nu- [per inventus	endometrum nu- [per inventum.	
XI. 21.	videntur	videtur	